



**De Soliditate Virtutis In Religioso Societatis Jesu requisita  
Considerationes R. P. Gasparis Družbicki, Societatis Jesu**

**Družbicki, Kaspar**

**Coloniae, 1721**

Consid. 9. Ubi virtus possidenda, & tanquam robusta atque solidè  
perfecta, securè tenenda & in usum revocanda?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60934)

CONSIDERATIO IX.

*Ubi virtus possidenda, & tanquam robusta atque solidè perfecta, securè tenenda, & in usum revocanda?*



Tertiae Classis Religiosis, hoc est perfectis & consummatis viris, hæc Consideratio servit: est tamen & ab imperfectis nobis consideranda, ut sciamus, quid desit nobis, & quò adhuc conandum sit nobis.

Post exacta Tyrocinia, post completa studia, post comparata zeli animarum & gloriæ Divinæ subsidia, post instauratum tertiae probationis fervorem spiritûs, prodit tandem miles tanto labore atque tempore cultus, probatus, politus, institutus in aciem; Virtutisque suæ tanquam jam solidæ & exactæ campum nanciscitur, edit specimina, experitur firmitatem; & quia supponitur à Religione perfectus, supponitur & à me in hac Consideratione, ideòque in eâ non proponam (ut in primis factum est, capita exercitandæ & perficiendæ virtutis, sed capita potiùs possidendæ atque usurpandæ.

Atque imprimis perfecto isti ac veterano, jamque tertiae Classis Religioso commendata esse desidero, tam illa, quæ primæ classi, quàm ista, quæ secundæ classi Religiosorum superiùs capita sunt proposita: neque enim talia illa sunt, ut in perfectis  
locum

locum non habeant, absit: immo vèl in his reside-  
 re debent quàm maximè, fundamenta enim sunt  
 & parietes spiritualis ædificii, sine quibus laqueat  
 & rectum, & quælibet coronis frustra exstruitur.  
 Notum est apud spirituales Magistros, tres illas vias,  
 quibus hæ nostræ classes tres respondent, nempe  
 Purgativam, Illuminativam, Unitivam, nec esse, nec  
 debere esse inter se discretas, ut una alterius vicissim  
 officia non degustet. Degustant quandoque incipi-  
 entes, etiam delicias perfectorum: sed & perfectis  
 expedit, nonnunquam descendere ad labores &  
 lacrymas incipientium: blanditur sæpè incipienti-  
 bus divina bonitas, & se se in sua dulcedine illis  
 gustandam propinat, ut scilicet per viam purga-  
 tivam, per se se horridam, alacrius currant; sed &  
 in perfectis dormitat quandoque perfectio, & nescio,  
 quonam modo, usu ipso Deus ejusque conver-  
 satio ac familiaritas vilescit. Quo in casu, ait Bern:  
 excitandus est timor, ut excitet, seponenda parum-  
 per pia Dei vocabula & nomina, Patris scilicet,  
 amici, sponsi; recolenda autem interim illa seve-  
 riora, Domini, Judicis, vindicis & ultoris. quòd  
 amicus, quòd sponsus est, id tibi ò homo est, sed  
 quòd Dominus, quòd Judex, quòd ultor, hoc  
 sibi & pro suæ gloriæ zelo reservavit. Atque id  
 ipsum dico de viæ Illuminativæ sectatoribus. de-  
 bent namque isti & aliquando incipientibus con-  
 sentire, & ad perfectos ascendere; & vice versâ  
 ad illos tam ascendere incipientibus, quàm descen-  
 dere perfectis inutile non est. immo verò amantes  
 Virtutum, & curiosi profectûs sui observatores viri,  
 debent

de-  
unt  
eat  
ur.  
as,  
pe  
ec  
im  
pi-  
tis  
&  
ti-  
lis  
a-  
&  
es-  
er-  
n:  
n-  
t,  
e-  
od  
ed  
oc  
id  
e-  
n-  
â  
n-  
es  
i,  
t

debent stata aliqua vitæ suæ tempora habere, quibus nunc in hac, nunc in illa, nunc in tertia incedant viâ. esto specialius & frequentius occupari debeant in suâ. Sed jam ad promissa capita veniamus.

Primum Caput, in quo tertiæ classis Religiosus virtutem suam solidam possidebit, & possidendo usurpabit, est, ut sciat abundare & deficere, immo ut plus defectum gaudeat perpeti, quam copiam amare. Ingenuè dico: sæpè ad scopulum paupertatis atque defectuositatis corporalium commodorum, perfecti ac veterani allidunt virtutes suas, & naufragium perfectionis in pusillanimitate & amaritudine cordis patiuntur. Quoties perfecti isti implent domum murmure, si quid aliquando ad mensam, ad vestitum, ad lectum, ad cubiculum, ad currum deesse, quid dico deesse? non deesse, sed minùs copiosum, delicatum, pretiosum, molliculum, nitidum, superfluum, quam volebant, adesse contigerit! Et tamen solida virtus, perfecta virtus, hæc non sentit, his non cedit, quia scit abundare & deficere, immò gaudet deficere, erubescit abundare. Malè vestiri, malè vesci, malè habitare paupertas non potest.

2dum Caput, in quo solida perfecti Virtus eminet, est linguæ imperium. *Nam qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir.* Iac. 3. 2. Minimum est in perfecto, amare & colere silentium: sed inter loquendum verbo non labi, in labiis suis non capi, scire & posse cohibere spiritum, hoc perfecti est. In quo genere nulla, nulla omnino diligentia

tia superflua est, immò verò nulla satis est. At utinam non eos qui perfecti sunt opinione suâ & nostrâ, experiamur esse linguæ super cæteros superbioris, jactantioris, mordacioris, obtreçantioris, in censuris, in decretis, in secretis, in adulationibus, in dolositatibus, in mendaciis effrenatoris.

3<sup>rum</sup> Caput, in quo solida perfecti virtus eminet, pacis amor & tutela est. Perfectus vir nescit lædere, nescit lædi, nescit irasci, nescit ulcisci, amat odientes, laudat detrahentes, juvat impedientes, conciliat à se vel inter se dissidentes, aufert de medio fratrum scandala & discordiarum semina. Est pacis filius, est pacis author, est pacis pater & princeps, & Angelus, est pacificus. Pretiosior est illi uncia pacis & fraternæ caritatis, centum libris discordiæ. Sed ô quàm rati ambiunt illud sibi convenire: *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur!* Parum scilicet est, Filium Dei esse; præstat, diabolum inimicum pacis æmulari.

4<sup>rum</sup> Caput, in quo solida perfecti virtus eminet, est linguæ dominium, sed à proximè posito diversum. Linguis Superiorem esse, earum sensu carere, gustu pasci, morsus earum in omni opere suo secuturos sic sperare aut supponere, ut umbras corporibus novimus comites ire, occallefcere ad aculeos linguæ; famam, honorem, opinionem suam ex quacunque re linguis omnium creaturarum donare, ac inter bona derelicta, quæ primò occupantis fiunt, reponere, sacrificium illam Deo facere, & super Altare linguarum immolare atque holocaustum concremare: neminem ad restituendam sibi  
famam

famam ulterius ( ex sua quidem parte ) obligatum velle, immo peccantem in eam, non peccare sed mereri velle; detractorum suorum meritis se se apud Deum fulciri, vestire, ornare: detractiones mercedem suam putare & petere, atque inter panes quotidianos, quos in oratione Domini quotidie petimus, collocare atque mendicare, denique se detractionibus indignum judicare: nemini de suis detractoribus verbum ullum facere, & etiam coram Deo de illis silere, nisi cum libeat pro eis non sub detractorum nomine detractionisve causâ orare: ita superiorem linguis esse, hoc est libertatem nancisci perfectorum, & terribilia ridere puerorum. Parvæ adhuc virtutis, & arundineam soliditatem habentis est, metu, sensu, flatu linguæ alienæ agitari.

5<sup>o</sup> tam Caput, in quo solida perfecti virtus eminet, est obedientia. Perfectus non est, cui præesse animus, obedire ægrè est. Perfectus mavult subesse  
100. Præpositis, quàm uni præesse subdito; perfectus obedit, quia amat obedire, & ideo tantùm ut obediat, sive ut Deo ad voluntatem faciat. Perfectus differentias imperantium non novit, quis imperet, qualis? quid? quomodo? nihil attendit, quia Deum attendit. Perfectus, verè, non tucate, re non spe, facto non debito, subjectus & subditus est. nullâ suâ magnitudine ullum, ne dicam Prælatum, premit: pueri instar parvuli, instar agni & oviculæ gubernari sustinet, immo postulat: moneri non refugit, monitus non excusat, sed mansuetus etiam in flagella paratus est. Nobilitatem, eruditionem,

officia, gradum, ætatem, labores, non jactat, non repetit: non auctoritate gravis est: fulcrum superioris est, & pro omnibus apud superiorem, sed non contra superiorem, nec cum molestia superioris, refugium est. Perfecto superior libenter, simpliciter & fiducialiter imperat, quia perfectus, simpliciter, & fideliter, & prudenter imperata exequitur. Perfectus excusationis linguam non habet, morari nescit, frontem in mutatione non contrahit, de dispositione non præcogitat futurâ, non turbatur de factâ, in Dei voluntate & ordinatione, ac providentia se negligit, & securus dormit.

6rum Caput, in quo solida perfecti virtus eminet, est exemplum, quo præire omnibus in omnibus non tam laborat, quàm facilitatem, consuetudinem, naturam habet. Perfectus enim Regula viva est inter Religiosos, quod enim Regula dicendo, hoc perfectus faciendo præcipit. Perfectus præit exemplo, quia compendiosum iter est exemplorum. Præit verò exemplo obedientiæ ac subjectionis, facilitate & tractabilitate: Exemplo paupertatis in victu, vestitu, lecto, cubiculo, supellectili, rerum simplicitate: Exemplo minimorum diligentis & accuratæ & magnæ observantiæ: Exemplo confectationis humilium, ac vulgo etiam ab humilibus & postremis negligi solitorum, apud perfectos enim nihil humile & parvum est: Si modo Deo placet: placere enim Deo maximum illis est, solunquæ Dei placitum est apud illos ratio & mensura, & pretium, tum rerum, tum occupationum,

tionum, tum actionum : Unde ubicunque placitum Dei inveniunt, illud enim maximum est, esto ignaris & cæcis minimum sit aut vilissimum, & humillimum, sive abjectissimum. Quo sensu verò etiam *unum jota & apicem mandatorum suorum, etiam minimorum, qui seruet, hunc magnum fore in Regno cælorum, refert. Matth: 5. 19.* Denique Perfectus præit exemplo vitæ communis & fugâ omnis, in omnibus, singularitatis.

7<sup>mum</sup> Caput, in quo perfecti solida virtus eminet, est Temporis bonus usus, bonâque, ordinata, sancta, perfecta dispensatio : quia enim illius defectu laborat, & quia illud maxima parte proximorum salutis impendit, illo ad agendum cum Deo abundare non potest, occupâtque & redimit illud, ubi potest, & redemptum tenet, & in brevi tantum consummat & peragit, ut in eo expleat tempora multa, raritatemque ac brevitatem, fervore atque ignita intensione, & in Deum ebullitione, atque ejaculatione impetuosissimâ, sed reverentissimâ, sed humillimâ, sed amorosissimâ, compensat. Quòd si se aliquando relaxant tempora, & otia indulgent, tum perfectus laxat retia in capturam, tum perfectus effunditur, & se dispergit totus in Deum, perit totus & perdit se in Deo, mente excedit, gulosè atque sitibundè de Deo haurit, quod esurientibus Deum communicet. Non oberrat compita urbis, non invisit domos, non terit per cubicula aliorum sibi & aliis tempus, gaudet se occupationibus suffurari, & Deo reddere posse. Nescit fastidire Orationem, longas non accusat orandi & examinandi

horas, esurit & sitit sacrificia, atque Sacramenta; verbo. *Boni diei particula illum nulla praterit*, Eccl: 14. quâ non negotietur Deo, vel non agat cum Deo.

8vum Caput, in quo perfecti solida Virtus eminet, caritas proximi, caritas fraterna est. in perfecti vitâ & moribus illud legere est: *Caritas patiens est, benigna est, caritas non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* 1. Cor: 13. 4. Perfectus gaudet carere, ut aliis sufficiat: sibi durus, aliis blandus & mitis, & liberalis est. Neminem contristat, neminem contemnit: non verbo, non facto, non signo, non postulato. Omnibus cedit, omnibus se postponit, & postponi gaudet. Supportat infirmitates, dissimulat mores aliorum, interim cavet, ne quid in se sit, quod supportari ab aliis sit opus. Neminem spe sui boni amat, sed omnes in Deo, & propter Deum. Omnium mancipium est, præsertim qui indigent eo. prodigus laboris, virium, commodorum, vitæ suæ, modò aliis proffit, hoc est, modò alios meliores faciat. Rogatus nihil negat, quo ipse carere potest & habet. Inferiorum est servus, parium mancipium, superiorum jumentum. Sic inter multos vivit, ac si aut cum nullo esset, aut inter illos non esset, incurrit in neminem, nisi fortè exhibitione caritatis.

9num Caput, in quo solida perfecti virtus eminet,

net,

net, est præsentia sui, sive reflexa vita. Perfecti est, circumspectum esse, capi non posse, nihil impræmeditatò, nihil imprævisè facere. Supereminere rebus, non immergi. Cor habere capax & latum, quod in guttis occupationum & sollicitudinum non mergatur; prudentiâ, veritate, decore instituti sui, puritate & fructu conscientiæ, dignitate Divinæ voluntatis gubernari. Rationi cedere & ejus servum esse: nec spe, nec metu, nec amore, nec odio gubernari. Pecuniæ amore; metu inopiæ non tangi: imò magis metum inopiæ quàm inopiam metuere; in numerato vitam suam actam agendamque habere, ad se crebro redire, & se sibi restituere. Spiritus probare suos, præsertim si vehementiùs impellant; hisce tardiùs obsequi, nec nisi bene explorentur origines ac fines eorum. Aurigante discretione, in omnibus & ad omnia progredi. Ordinem habere, amare & servare, non tantùm dum quietæ vitæ spatium est, sed etiam dum sollicitioris: in hac enim perfecti est ordinatum esse, & veluti boni ductoris inter hostiles acies compositis suis agminibus incedere. Qui enim in vitâ, quantumvis per se inordinatâ & distracta atque irregulari, ordinem & Regulam tenere potest, is profectò solidè suus est, solidè sibi consistit, solidamque virtutem habet, *estque similis viro prudenti, qui edificavit domum suam supra petram: in quam surrexerunt pluvia & venti, & alia nubium furia in casum, quia firmata est supra firmam petram.* Matth: 7. 24. Tales autem perfecti in uno annulo insculpi omnes possent.

I omum Caput, in quo solida perfecti virtus  
 eminet, est fidelitas, atque etiam liberalitas in  
 Deum. Perfectus vir aut non sentit, aut ridet  
 morsus vanæ gloriæ. ita gloriam suam evacuavit,  
 ita amorem sui omnem sepelivit, ut fidem fecerit  
 Deo, quod non quærat, nec sit quæsiturus quæ sua  
 sunt, sed quæ IESU Christi, & quæ gloriæ Dei.  
 inde Deus metu infidelitatis solutus, ac de fidelitate  
 securus, nihil hominem veretur, nihil celat, nihil  
 negat, se & sua bona illi concredit, etiam rara,  
 etiam mira, sciens quia fidelis est cui credit, & non  
 sibi sed Domino negotiatur atque lucratur in talen-  
 tis Domini. Immo verò Deus, dum tali homini  
 beneficia donaque sua largitur, scit se non homini,  
 sed ipsi sibi, ea quodammodo donare ac largiri.  
 Quia enim novit hominem talem non suam priva-  
 tam, sed Dei gloriam in omnibus quærere, non  
 sibi quidquam, sed Deo omnia adscribere atque  
 tribuere, donis Dei non in suum sed in Dei ipsius  
 commodum, hoc est, exaltationem uti, inde fit, ut  
 Deus securus ad talem hominem juvandum, ditan-  
 dum, honorandumque, etiam in oculis mundi, sese  
 demittat, satis sciens, nihil eorum quæ homini fe-  
 cerit dederitve, apud hominem ipsum remansu-  
 rum, sed ad Deum ex fidelitate hominis rediturum.  
 Itaque fidenter Deus effundit bona sua in talem,  
 quia certò, scit se non in alium sed in se ipsum illa  
 profusurum. Atque hæc est causa radicalis, quare  
 Deus *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam,*  
 Iac: 4. 6. *Quare humiliare respicit, & alta à longe*  
*cognoscit.* Psal. 137. 6. *Nempe à superbis rapinam*  
suorum

suorum bonorum extorquet ac repetit, in humili-  
bus autem non illos, sed seipsum ditat, nec illis, sed  
sibi ipsi quodammodo benefacit. Quamobrem  
hæc, de qua loquimur, fidelitas, humilitas est, ca-  
ritas est, amicitia Deo bene volens, paupertas spiri-  
tûs, puritas intentionis est. Hæc fidelitas, vanæ glo-  
riæ mors est, sepultura est. oblivio est: utpote quam  
in cognitione proprii nihili atque imperfectionis &  
insufficientiæ, contemptûque sui & odio demersit,  
& in æternum obruit, abyssiisque nihilitatis ope-  
ruit. Hæc fidelitas ex notitiâ Dei, ex notitiâ nutricis  
omnium gratiæ promanat, atque ideo omnia à Deo,  
omnia Dei esse Deoque deberi protestatur: quæque  
protestatur, facit, omnia Deo fideliter ad novissi-  
mum quadrantem semper restituit, parata & avida  
plus etiam dare & supererogare Deo, si continge-  
ret habere aliquid non Dei, vel non à Deo. Quod  
quia non potest fieri, gaudet; & solum Deum esse  
omnium fontem, cui omnia debeantur, conten-  
tissima est. Et hæc est liberalitas caritatis, cuius sen-  
sum perfecti nôrunt.

**I** i m u m Caput, in quo eminent solida perfecti  
virtus, est zelus gloriæ Dei & animarum, de quo  
non amplius addo, quàm quòd hic sit cibus perfe-  
ctorum, hæc vita, hæc substantia. Angeli sine zelo  
nihil sunt, ait S. Ambrosius, & perfecti consimili-  
ter. Uno verbo, in zelo ita est perfectio, sicut Pater  
in filio. Zelus enim perfectionis filius est: quia per-  
fectionis est lucere & ardere; & omnis qui audit,  
dicit: veni. Perfectio gignit zelum, zelus perficit  
perfectionem, qui enim verè perfectus est, is etiam

verè zelosus esse cogitur. rursus, qui verè zelosus est, perfectioni servire stimulatur, tum ut faciat quod alios docet, tum ut defectibus suis salutem aliorum non impediat, ut gratior Deo factus, gratias uberiores ad juvandos alios lucretur. Unde zelosum esse & perfectum non esse, perfectum esse, & zelosum non esse, non cohærent. Quod si ubique verum est, in hominibus Societatis maximè verum esse, pro certo constare debet.

12mum Caput, in quo solida perfecti virtus eminent, est securitas. Volo dicere: Perfectus ille est, solidæ virtutis Religiosus Societatis ille est, cui Religio fidere securè potest, fidere, inquam, securè atq; se concredere, & in manibus ejus tutò deponere Dei gloriam, fidei virtutisque incrementum, defensionem Ecclesiæ (contra malos Christianos, contra hostes Hæreticos, contra rebelles Schismaticos, contra cæcos infideles) famamque, nomen, & disciplinam Societatis, ipsiusmet denique personæ virtutem, perfectionem, salutem. Tales Societas requirit, tales format, tales Ecclesiæ promittit. Nam & Pater cœlestis IESUS Christus tales quærit, *qui adorent eum in spiritu & veritate*, Ioan: 4. 23. *Qui portent nomen ejus coram gentibus & Regibus, qui non erubescant Evangelium*, Act. 9. 15. qui non questum, non delicias, non libertates, non vanitatem, non hominum gratiam ponant pietatem; qui per ignominiam & bonam famam, *in fame & siti, in frigore & nuditate, in vigiliis, in plagis, in periculis, in mortibus multis*, 2. Cor: 11. 26. 27. & frequenter IESUM Crucifixum, nudum, stultum prædicent: redarguant

quant eos, qui ex adverso sunt, in doctrinâ sanâ, in patientia multa, in gaudio superabundanti. Tales Societas perfectos quærit, quibus nihil nocet conversatio, nihil plausus, nihil gratiæ hominum, nihil sufficientia rerum, nihil libertas vitæ. Tales quærit, qui bene sibi præesse nôrint, quando nemo illis præest; qui extra Collegium positi, in se ipsis habeant Collegium, habeant Superiorem, habeant Regulam. Tales quærit, qui in turbis solitudinem, in distractionibus collectionem, in laboribus Orationem atque contemplationem, in effundendo se aliis, cum Deo tamen suo servant unionem & puritatem, & familiaritatem. Tales quærit Societas perfectos, *qui verbo & opere potentes coram Deo & hominibus* Luc. 24. 19. Crucem Christi in corpore suo jugiter circumferentes, & eam carnis propriæ afflictatione, inediis, vigiliis, laboribus, fatigationibus, in hostiam Deo, quotidianis immolationibus, hominibus amabilem, & appetibilem, dulcémque & honorificam efficientes, sint veri ejus Professores, veri Professi, veri JESU Socii. Tales quærit Societas perfectos, qui ædificationi sint omnibus, qui non sint scandalo, qui in res externorum, in negotia statûs, in conficiendas causas, concilianda Matrimonia, aut mercimonia, in testamenta, in Magnatum secreta, in domuum & familiarum regimina, in promovendorum merita, non sciant, non sinant, non ferant se immisceri.

Hæc sunt, in quibus perfectorum Societatis atque tertiæ classis Religiosorum solida virtus emi-

nere debet. Ad hæc aspirare omnes nos convenit, quotquot perfecti non sumus, in his stare, in his eminere, in his roborari & perfici, hæc sapere eos convenit, quotquot perfecti sunt. Quòd si cui hæc ardua videntur, is sciat non impossibilia proponi, sed perfecta; ad quæ conari tenentur, qui studium perfectionis profitentur.

## D I E S IV.

*De occasionibus solidæ virtutis. 1. In vitâ privatâ. 2. In dispositione Superiorum de nobis quoad studia, officia, gradus. 3. In executione officiorum.*

## C O N S I D E R A T I O X.

*De occasionibus solidæ virtutis in vitâ Religiosâ privatâ.*



Utiore fuere proximæ Considerationes, id enim natura earum requirebat, ut fusiùs proponerentur. Quanquam, si quæ res est, loquamur, multa sunt ad considerandum proposita, non autem fusiùs sed adstrictis verbis explicata. Sequentes tamen Considerationes pressiores forsan erunt, quantum etiam per materiam earum licebit.

Considerandæ ergo se offerunt occasiones virtutis